

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von**

**Lipsiae, 1698**

§. XXV

**urn:nbn:de:bsz:31-102612**

*va cura est.* Similiter id naturæ matrimonii repugnat, quòd Judæo-  
tum consuetudine maritus quidem habebat licentiam dimittendi  
uxorem; hæc autem ab ipso invito divertere non poterat; unicò  
casu exceptò, si quis nimirum calumniatus esset, se in primo con-  
gressu uxorem non invenisse virginem. Vid. *Pufend. d. J. N. &*  
*G. l. VI. c. 4. §. 23.* Ineptum profectò morem! Quid enim? Annon  
pactis, quæ matrimonio tacite insunt, æquale jus mutuo conjugibus  
in corpora quæsitum est? Ut taceam, lepidos homines nullum cer-  
tum & infallibile virginitatis signum scire potuisse. His ergò ita  
expositis, concludimus, nec additum neque detractum quicquam  
in hoc argumentò esse dispositioni Juris Nat. lege Divinâ, pari mo-  
dò in Veteri & Novò foedere se exerente. Nec obstat, quòd Chri-  
stus passim in N. T. solum adulterium pro legitima dissolvendi ma-  
trimonium causa agnoscat. Cùm enim de hoc argumento loquitur,  
semper eum supponit casum, quò constitutum & validum matri-  
monium conjux abrumpere possit; quò ipsò tamen vinculum non  
inducit vel eò casu, quò non tam facit, quàm patitur divortium con-  
jux, v. gr. ab altero malitiosè desertus, vel quo matrimonium perse  
defectus aliquis, ut ineptitudo ad copulam viciat.

§. XXV.

Illud etiam firmum manet, solam morum perversitatem in  
conjugè & animorum in utroque disparitatem, justam divortii  
causam, uti non Jure naturæ, quòd supra ostendimus, ita nec Lege  
divinâ esse; & proinde hodiernum eam ad dissolvendum matrimo-  
niale vinculum neutiquam sufficere, utut quoad thorum & mensam  
salvò manente vinculo matrimoniali, separatio suscipi, circumstan-  
tiis ita ferentibus, possit. *Dedek. V. 3. Conf. l. 4. sect. 2. p. 442. Reusn.*  
*l. 1. Consult. 8. & 16. Carpz. Jurispr. Eccles. p. 2. d. 210. 215 seqq.*

§. XXVI.

Igitur mirari subit grandem laborem, quem ad contrarium  
deducendum peculiari tractatu suscepit *Johannes Miltonus*; nisi for-  
tasse, quòd *Pufendorsius* suspicatur, domesticæ ipsi miserix ad  
operam talem tam anxie navandam impulerunt. In recensendis  
ejus præcipuis argumentis, quibus figmentum hoc suum tueri nititur,  
industriam se exhibet. *Pufend. c. l. §. 24.* Quæ singula nos, id enim  
is in